Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1731

Quelle:
Copyright:

Codicis fini adplicita eſt Membrana Syngraphen exhibens, qua *Protywecz de Nouo hyrſtain*, *Pawliko de Hoſtyeticz dictus de Hoſtina et Chunradus de Schiltarn* conjuncta manu et in ſolidum ſe obſtringunt ad ſolvendas poſt proximum S. *Martini* Feſtum *Abrahe Ciui in Thuſta decem ſexagenas groſſorum argenteorum Pragenſium. Datum in Thuſta. Anno Natiuitatis domini Milleſimo Trecenteſimo Quadrageſimo Octauo Proxima quarta feria poſt feſtum beati Bartholomei Apoſtoli.*

CCCCXXXIX.

Codex chartaceus lat. boh. 912
Sec. XV. Folior. nunc 297. 4. minutius exaratus, et rubricis, gloſſisque bohemicis paſſim interſtinctus eſt Commentarius in Apocalypſin M. *Jacobi* ſeu *Jacobelli de Miſa;* ita enim praenotatur: *Magiſter Jacobus prelatus Capelle In Bethleem Super Appokalipſim.* Quibus additur: *Hic continentur anni exitus eius ab biis oris.*

Te CeLo IVnXIt LaVrVs IaCobeLLe MagIſter.

Anno nempe 1429 in vigilia *Laurentii 9. Aug.* obiit. Initium porro vaſtae hujus Expoſitionis eſt: *Apokalipſis ibeſu chriſti, quam dedit illi* &c. *Ex quo igitur liber iſte dicitur Apocalipſis. Igitur ſermo erit de reuelacione Johannis, de qua reuelacione tria ſunt nunc dicenda. Primo quando facta eſt ei illa reuelacio. Secundo quomodo facta eſt. Tertio quid ei reuelatum eſt* &c. Scribere ſe ait Noſter: *pro maiori intelligentia paruulorum et conſolatione fidelium predicatorum in tribulacionibus magnis hijs temporibus antichriſti poſitorum*, et mox, ubi de Domitiano pſeudoprophetas protegente: *et nos habemus temporibus noſtris, qui cum domiciano viriliter defendunt falſos prophetas, ſed certe ſi non penituerint non effugient plagam ſicut Jezabel.* Per decurſum *Bedae*, *Lirani*, *Remigii* et potiſſimum *Haymonis* teſtimoniis utitur. Deficit vero Expoſitio ſυχηεως procedens in C. XVIII. v. 4. his verbis: *quo peccata debitum finem accipiant. Hec ille.* Opus iſtud decumanum nullibi inter *Jacobelli* Scripta cenſeri video, de cujus Viri Patria erudite nuper diſquiſivit Cl. *Mart. Pelzelius* T. VI. *Diſſertt.* germ. *Societatis priv. Bohemicae* p. 299. 8. Quod ἐκ παροδȣ dictum.

CCCCXL.

Codex chartaceus lat. Sec. 553
XV. Folior. 252. 4. nitide perſcriptus ſequentia comprehendit: I. *Poſicionem*, ut e calce praeoccupo, *Magiſtri Jacobi de Miſa Baccalaurei ſacre Theologie factam anno incarnacionis domini M° CCCC° XV°.* Autorem a *Petro Dresdenſi* de Neceſſitate Communionis ſub utraque Specie perſuaſum